



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 137. At itti dixerunt: quid ad nos. v. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

missione spiritus & lacrimarum imbre, ut gratiam tuam non amitam cum Iuda Ischariothe, sed eam acquiram magis ac magis in remissionem peccatorum omnium & vitam æternam, Amen.

§. 136. Tradens sanguinem iustum. v. 4.

Forma peccati Iudæ fuit Traditio sanguinis iusti, ex propria confessione, quæ & causa fuit desperationis. vere enim pœnitere noluit & veniam precari ab eo, quem offendit Deum, quem & sibi præsentem habebat in domo Pilatæ secundum impœnitens cor suum toties monitus, *thesaurizavit ergo sibi thesaurum suum*, hinc de Dei misericordia desperavit, cum Cain fratricida, in fide errando nolens cum Petro se humiliare, & Zachæo & publicano agnoscendo & Deum & gravitatem peccati veniam petendo, eligens potius mori quam confusionem pari in mundo, & æternaliter perire in inferno, quam misericordiam pœnitendo adipisci, nec sine dispensatione Dei, ut hoc facti Christi innocentiam principibus contestaretur, ipsosque emptores de iniquo contractu argueret atque totum mundum à scandalo liberaret, exemplumque esset principibus Sacerdotum, qui Christum gentibus iam tradiderant, nisi Deum agnoscerent, & veniam ab ipso peterent, perituros cum ipso miserabiliter, uti factum esse historiæ testantur.

**D**omine peccator sum maximus & multoties tradi te, & sanguinem tuum vendidi ad flagellandum, colaphizandum, spinis coronandum & crucifigendum per peccata, heu nimis multa & magna nimis, doleo & confiteor coram te & sanctis tuis totoque mundo, & cupio veniam à te cum lacrimis vere contrito & humiliato corde, nunc & semper & maxime in hora mortis meæ, nunc & pro tunc, ne subito præoccupatus morte non paratus inueniar: da igitur hanc gratiam, ut non maneam obstinatus in peccatis cum Iuda, aut de tua misericordia diffidam cum Cain, sed semper cum Petro recurram ad tuam piam misericordiam & gratiam, eam implorando pœnitenti corde.

§. 137. At illi dixerunt: quid ad nos. v. 4.

Attendite, ô Iudæorum principes, & considerate, quid loquamini; hic Iudas fatetur culpam suam de Christo innocente male tradito, fatetur & ipsum iustum, & dicitis: *quid ad nos?* nonne estis Iudices constituti, ut secundum legem & æquitatem iudicetis populum, malos perdati, bonos conservetis: istos puniatis, hos præmio afficiatis juxta meritum; videtis ergo &

audientes

audientes iustum Christi sanguinem traditum vobis malitiose, cur non dimittitis Iesum iustum, innocentem, sanctum & prophetam de vobis bene meritum? & hunc sponte confessum proditorem capitis & loco innocentis Pilato traditis, si estis iustitiæ amantes & patroni? sed male conscij pessime consolamini, pusillanimum. Et dicitis quid ad nos? Hæcine doctrinæ Moysis & legis vestræ, ut innocentem perdatis? Væ vobis scribis & pharisæis! In caput vestrum hæc iniustitia redundabit, qui confitentem culpam suam proditorem audire noluitis, nec innocentem damnatum absoluerit aut dimittere: Nam patet quid in Christo perdendo causæ habuistis.

**N**on sicego, non sic, Domine Deus meus, dicam unquam *quid ad me?* si audiero confitentem culpam, audiam libens semper, & secundum æquitatem iudicem, malos incorrigibiles puniam, innocentes & iustos defendam & promouere studeam propter te & ipsam iustitiam. Hoc Christianum est, aliter agere peruersum est, Iudaicum est.

vs. 138. *Tu videris.* v. 4.

Quasi dicerent, si male egisti, tu videris quomodo defendas apud Deum & homines, nos tecum agere non habemus, si tradidisti magistrum & Dominum tuum, solum est tibi stipendium & pretium habes in manu tua, nos à te emimus traditionem tuam; malo tuo usi sumus ad bonum nostrum; permisimus boni politici mala, ut euenirent bona. Quæsiuimus enim capere Christum magistrum tuum, ut inimicum nobis, & Reipublicæ, Legi nostræ contradicentem: si igitur aut bene aut male fecisti, *tu quid ad nos? tu videris.* O Hypocritæ! quid dicitis: Tu videris? cur & vos non videtis idem quod Christi innocentis prodicionem ex inuidia & odio in ipsum, e-meritis: an non estis prima causa culpæ & prodicionis Iudæ? non enim esset proditor nisi esset cui proditio placeret. an non in eodem sunt prædicamento peccatorum & fur & detentor, proditor & receptator? cur non videtis in conscientijs vestris iniustitiam & prodicionem vestram illam magnam, qua ex rancore, inuidia & odio non solum emistis à discipulo traditionem eius, sed & captiuastis, & condemnastis innocentem, dicitis, alteri *Tu videris* quid feceris, etiam vos videte & considerate quid feceritis? ista non est excusatio, sed obstinatio. O Principes, modo despicitis audire testimonium omniacceptione maiorem, nec eius testimonium examinare vultis, ne scrupulus vobis iniiciatur ad dimittendum innocentem Christum, sed ex illo scrupulo, quem modo declinatis, fiet lapis magnus instar montis suo tempore.

IL 3

O Iesu,